



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Caroli Scribani E Societate Iesv Adolescens Prodigvs

Scribanius, Carolus

Monasterii VWestphaliae, M.DC.XXI.

Dedicatio Auctoris. Illvstriss. Reverendiss. Maffeo Cardinali Barberino S. S.  
D. N. Papæ Signatvræ Ivstitiæ Præfecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46252)

Dedicatio Auctoris.

ILLVSTRISS. REVERENDISS.

M A F F E O

CARDINALI BARBERINO

S.S.D.N. PAPÆ SIGNATVRÆ

IUSTITIÆ PRÆFECTO.

**A**D quem nisi ad parentem redeat Prodigus? erubescibat cum audiret se mitti ad purpuram, & retraxit non semel pedem. animos addidi. at ille ad purpura nomen trepidabat. ita ferè quorū honesta, imbecilla frons est. narrabam etiam in purpura patrem esse. verebatur ille, ne ad conspectū purpuræ, duplici suffunderetur rubore, suo, & alieno. at ego non arbitrabar indignam purpura verecundiam esse, frōrem & ora purpurare doctam. Hærebat inter hæc dubius. Euici tādē importunus suasor. venit ergo Prodigus tuus: nec dextrā, sed pedes amplectitur. satis illi pedes in patre tenuisse. nam & satis illi Euangelico erat, cum famulatū veniret, & mercenarij ambiret sortē. sed vicit benignitas patris, & pro votiuis pedibus, amplexus & oscula retulit, vitulum, stolam, annulum, musicam. nō quod paria Prodigus Tuus speret: sed quod se prodigū fateatur, qui à longinqua regione, & porcorum siliquis redit ad patrem, à quo annos iam aliquot exulauerat. Amplectere reducem Tuū. ego illum plebeia lacerna indui: Tu purpura teges. Ita solent benignissimi patres prodigorum filiorum lacrymas purpura tergere: etiam osculis. Intuere quem

quem mitto, propius. quidquid repereris posteritate dig-  
num, Tuum erit: quidquid damnandum, meū. In quo  
me hoc solatur, quod euenire mihi videam, quod ijs qui  
absinthium saccaro, fella melle temperant: dulcibus ni-  
mirum amara, saccarum mellaq̄. Tua sunt: absinthiū,  
fellaq̄, mea. qua aut humanitate dulcorabis, aut pur-  
pura teges. Hoc ut mihi spondeam, comitas Tui facit.  
quid non audeam in tā diuite spe, tot beneuolentijs gra-  
uida? amo purpuram, non nego. sed amoris purpuram,  
quam tinxit, texuit amor: magis si mutuus, ac licet re-  
liquis vincar omnibus, amore vinci nollem, dictum au-  
dax: ~~fors~~ & superbum. de plebe vltimum litteratorum  
nolle cedere purpura? repeto, nolo cedere. vide audaciā.  
nemo hanc in amore mirabitur. at ne erres, nō mihi pri-  
ma Quirinalis purpura, sed illa, quā omni cōchylio me-  
liori tinxit amor, doctōq̄, intexuit stamine, arūdine, pe-  
tine. Sanē si Salomon, Matthaeo & Luca testibus, in o-  
mni gloria sua, nec indutus, nec coopertus fuerit sicut  
vnum liliorum: dicam nullā esse purpuram, qua integra  
verecundia, cum amoris purpura decertet, qua purpu-  
ratū primogenium Verbum, ut nos sanguine suo, purpu-  
rarū prima, in horto, in colūna, in corona, in cruce pur-  
puraret. qua perfusus etiam Prodigus tuus, Vaticana se  
purpura Tua sistit supplex. Habes illū ergo amore Tuo  
purpuratū, reliqua inuestem, quo diutius purpura Tua  
beatiusq̄, vestiatur. Nā licet illum vestiuerit amor, non  
est contentus veste vna, purpura vna: cū sit ex illis, de  
quibus olim cecinit purpuratorū Princeps, Omnes do-  
mestici eius vestiti sunt duplicibus. gemina purpura  
gaudet, ut purpuram purpura vestiatur: quo certius no-  
ditatē tegat. non quod Tiberina purpurari purpura ve-  
lit. sat enim purpuratus est, quem purpurauit amor, sed  
quod

quod aduersus amulantium dentes & tela, aduersus li-  
uentium frigora, niues, gradines, vestiri velit. mihi nec  
toga, nec pallium, quo siliquis pastu vestia. mutuabitur  
ergo à domo Tua vestem. non possum meliore, nõ sanctio-  
re quàm Lateranensi purpura amorem vestire. vestiē-  
dum ergo mitto: Tuo nimirum robore firmandum, Tuo  
defensandum. nec iam vltra meus est, quem manu misi:  
Tuus est, vitulo pascendus Tuo, stola donandus Tua,  
annulo subarrandus Tuo. defert verò, ne gratuito gra-  
tus sit, purpuratos versus tuos, Belgico hæctenus exilio  
clusos, moneo tamen, domesticū hunc furem esse, & Si-  
donianū latronem, scriniorum compilatorem doctorum.  
Hoc ille spolio latabundus exultat, nec pondera doctæ  
sentit. ignosce superbiēti. causam habet: quã omnium o-  
culis, parcus verborū factorū diues. subijcere parat. Et  
loqueretur sanè indulgentius, nisi obsequeretur innata  
verecundia Tua. cognatus virtuti pudor est: sed neq; a-  
dulationis suspitione obtenebrare veritatem vellet: quæ  
cū verbis iuuari nolit, tum commendationis aliena au-  
xilium auersatur, suo robore contenta. repressit proinde  
currentem manū, & bibere calamū coëgit, quod effude-  
rat, quod charta biberat. Posset plurima adferre in lau-  
dem. sed brevis est assertio veritatis. ostendi gaudet, non  
ornari posset purpuram diffibulare, & admirabundum  
prouocare inspectorem in veteres versus:

Effulserunt artus, membrorumque omnis aperta est  
Læticia, insignesque humeri, nec pectora nudis  
Deteriora genis, latuitque in corpore vultus,  
ita Tua, ignosce latet in versibus purpura; ut non nisi  
secundas Capitolina purpura, primas versus teneant: in  
quibus tot propè miracula quot versus. qua omnia. sin-  
gularum lectorum conscientia relinquit, quatum nimi-

rura

rum calamorum merearis, quantum chartarū. De me nihil dico. nam licet diffiteri non possim, cognationem mihi quandam cum hisce studijs intercedere: cum tamen in Tuis, hinc versuum elegantiam, ingenij altitudinem, calami felicitatem: inde verborum acumō, sensuum profunditatem, ac totius corporis venustatem intueor: fatebor, inuoluoꝝ fluctib., à quibus ne absorbear, retraho pedem. Quis prudens tripedalem scapham committit oceano? non soleo tam fatuè ludere. sed neque fornacibus manū immitto. calere velim: ardere nolo. quare non tango propius temerarius hanc rubum. nefas homini nisi cum Mose excalceato propius accedere. De lōgiquo diuina veneramur. facio hoc in Tuis, admirari magis doctus, quàm laudare. ita soleo in ijs qua laudem omnem superant. qua cum attingere calamo nō possim, admirabundo veneror silentio. & nunc etiam iniecta dextera audio inclamantem:

Quō musa tendis? desine peruicax

Magna modis tenuare paruis,

Et stellis nebulam spargere candidis.

Et tamen, non pastorem fistulam, & Tityri musicam,  
& pascua mensam, & herbas torum, & fontem potum,  
& ab ubere cibum, & arborum tecta ac lacunaria, &  
pampinos tapetes amauit Augustus?

Sic vbi magna nouum Phario de littore puppis

Soluit iter, iamque innumeros vtrique rudentes,

Lataque veliferi porrexit brachia mali,

Inualitque vias; in eodem angusta phaselus

Æquore, & immensi partem sibi vendicat Austri.

Non transeo tamen veterem illum Tuum, & fors Tuū  
tantum Romana facundia nitorem: & quod posteritas  
mirabitur magis, in summa altitudine nitorem. Non so-

lent

lent profunda flumina claritatem spondere. turbida fe-  
rè profunditas est. Tu in altissima profunditate vada  
ostentas: ut neque altitudo nitori, neque nitor altitudi-  
ni impedimentum inijciat. sociantur hîc qua natura  
disiugere solet: & cùm thesauros ferè abdimus, Tu pro-  
dis, nil fures veritus. minus in patentibus periculū, plus  
in abditis obuia enim transimus, ad negata fames pro-  
uocatur. Crescit deinde admiratio elegantia, ita alieni  
corporis pulcritudo magis eos delectat, qui illa destituū-  
tur. ego destitui hac me fateor, quo potentiùs amo &  
miror. admiratio calamus expressit. ignosce amori. e-  
tiam vestem dedit. A falcone nimirum meo Halario  
Tuo mutuata vestes, & è columbis meis aquilis Tuis  
penna. Displicent? contineas cauea. placent? libertate do-  
na. Scio has plumas non esse dignas Horatiano ac Pin-  
darico cygno tuo. sed memineram etiam aquam utraq;  
vola, rustica manu porrectam, Regibus non semel pla-  
cuisse. memineram non displicuisse Illust. Frederico Bo-  
romæo, magni Caroli patrueli, magni imitatori: non Il-  
lust. Scipioni Cobellutio Philosophum meum. non quòd  
mereretur purpuram, sed quòd hoc darent amori meo,  
benevolentia sua. ita ferè in paruis magni ludunt, &  
gratiora è tenui dextera munera sunt. affectum parem  
in pari purpura sperabam. & si quid iudico, non inex-  
pertus humanitatis Tua, non fallar. par benignitas, co-  
mitas, amor in litteras in purpura pari. & si vota mea  
valent, taceo. ô tantum multos Vaticana purpura orbi  
largiatur Boromæos, Barberinos, Cobellutios. Hæc vota  
libera emitto manu, & calamo. maiora pectori recon-  
do, audi Deus.

PRO-